



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Præsupposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

essum ab actibus imperfectis ad perfectos, & à propositione universali ad particularem tandem pervenit ad ultimum iudicium practicum de ultimo fine in particulari. Complectitur ergo instantans usus rationis aliud instans initiativum, in quo tempore inchoatur discursus practicus, & excitatur cogitatio de prosequenda beatitudine in communi, aliud instans terminativum seu completivum, in quo videlicet completur deliberatio, & formatur ultimum iudicium practicum de ultimo fine in particulari. Operatio respondens instanti initiativo semper est bona, & à DEO specialiter movente & applicante; operatio verò respondens instanti terminativo non semper est bona, nec à DEO specialiter movente, quia voluntas per primam operationem in instanti initiativo jam sufficienter actvata potest defectuose movere, & applicare intellectum, ut in suo discursu male subsumat, ac tandem in ultimo instanti completivo practice inferat, ultimum finem esse collocandum in bono sensibili. Unde defectus operationis in ipsam voluntatem hominis tanquam principium defectuose applicans refunditur.

Objic. secundò. Angelus in primo instanti habuit omnia requisita ad peccandum: ergo tunc potuit peccare. Anteced. probatur. Quia in primo instanti habuit potentiam peccandi (utpote creaturæ ex nihilo) & libertatem: sed hæc sunt requisita sufficientia ad peccandum: ergo.

Respondeo, negando antecedens, & primum membrum probationis distinguo. Habuit in primo instanti potentiam peccandi, & pro illo instan-

ti, nego, pro aliis consequentibus, concedo. Alterum quoque membrum distinguo. Habuit libertatem quoad exercitium tantum, concedo, quoad specificationem, nego.

Instabis primò. Libertas exercitii sufficiebat Angelo ad merendum: ergo etiam ad demerendum. Consequentia probatur. Quia plus requiritur ad meritum, quam ad demeritum, cum bonum sit ex toto, malum verò ex quolibet defectu, ad peccatum sufficiat voluntarium indirectum, non item ad actum bonum.

Respondeo negando consequentiam, ejusque probationem distinguo, plus requiritur ad meritum, quantum ad causas bonitatis, concedo, quantum ad causas libertatis, nego. ad meritum quippe (juxta doctrinam Thomistarum de merito Christi) sufficit libertas quoad exercitium, quæ salvatur per propositionem objecti, hic & nunc eligendi, ut tamen posset absolute non eligi; ad peccandum verò requiritur libertas contrarietatis ad bonum & malum.

Instabis secundò. Prima Angelorum operatio bona & supernaturalis fuit ex gratia speciali: ergo potuit DEUS denegare illam gratiam, sed si denegasset, tunc Angelus peccasset: ergo prima Angeli operatio potuit esse peccatum.

Respondeo, est ex gratia speciali, quatenus illa gratia est supernaturalis, & causativa valoris meritatorii, concedo, quatenus est impeditiva peccati, nego. Sic enim est beneficium generale debitum Jure creationis, non verò gratia specialis.

ARTICULUS III.

Quodnam fuerit, aut potuerit esse primum Angeli peccatum?

SUMMARI A.

1. In Angelo non potest esse veniale peccatum.
2. Sine peccata spiritalia quoad affectum, alia quoad reatum possunt esse in Angelis.
3. Status questionis.
4. Superbia aliter generaliter, aliter accipitur specificè.
5. Superbiam fuisse primum peccatum Angeli docet Auctoritas.
6. Nec aliud potuisse esse probat ratio.
7. Non subdi regule superioris aliquando est peccatum inobediencia, aliquando superbia.
8. Non semper est conditio generalis.
9. Demon voluit DEO subjici in actu exercitio, non in actu signæ.
10. Excluditur luxuria spiritalis.
11. Item inobediencia & invidia à primo peccato Angeli.

§. I.

Præsupposita.

Suppono primò. Angelum non posse peccare venialiter: Primò: quia veniale committitur vel propter imperfectam deliberationem, vel propter levitatem materiæ, unde peccans venialiter non tam deordinatur ab ultimo fine, quam à medio ad finem: sed neutrum de Angelo dici potest. Non quòd peccet propter imperfectam deliberationem, quia ista repugnat cum modo Angelico

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. I.

operandi: non propter levitatem materiæ, quia, quoties Angelus peccat, toties errat circa finem simpliciter ultimum, quem in omni sua operatione efficaciter attingit. Unde licet aliquando demones videantur aliquid leve peccatum committere, v. g. inducendo homines in aliquam venialem levitatem, mendacium, &c. semper tamen peccant mortaliter, eò quòd hæc omnia faciunt ex fine mortaliter malo, nempe ex odio DEI.

Secundò. Angelus Viator in statu gratiæ constitutus non est minoris perfectionis, quam Adamus in statu innocentia; sed iste non potuit peccare venialiter uti Thomistæ docent in 1. secundæ; ergo nec Angelus Viator in statu gratiæ. Dixi Angelus Viator in statu gratiæ: nam si Angelum consideras extra statum viæ ac gratiæ, jam alio & novo titulo ipsi repugnabit peccare venialiter: aut enim erit in statu puræ naturæ, & sic esse impeccabilem superius dictum est: aut in statu beatitudinis æternæ, & sic ex vi status beatifici est ab intrinseco impeccabilis, juxta ea, quæ docentur de Act. hum. aut in statu damnationis, & sic demones semper peccant mortaliter, eò quòd immobiliter adhaerent ultimo fini inordinato & omnia ex ejus intentione operentur, veluti disp. seq. exponemus.

Suppono secundò. Licet omnia peccata etiam carnalia, quoad reatum & imputationem possint esse in demones, cum vide licet suadendo homi-

○ ○

nes in illa inducunt, sola tamen spiritualia in illis quoad affectum reperiri; quia ad hæc sola possunt affici, eaque proprio actu committere, quorum materia in ipsis reperitur, sed in ipsis utpote spiritibus incorporeis non datur materia peccatorum carnalium, datur autem materia peccatorum spiritualium, ut superbia, invidia, &c. ergo.

3. Suppono tertio. Angelos lapsos plura peccata præsertim superbiae & invidiæ commississe, veluti clarè constat ex S. Script. & PP. mox referendis. Unde controversia solum est, quodnam ex iis fuerit omnium primum & radix cæterorum. Nam Scotus in 2. diff. 6. q. 2. vult, primum Angeli peccatum fuisse quandam Luxuriam spirituales, consistentem in immoderata delectatione de propria perfectione. Valentia opinio est, quamvis de facto primum ejus peccatum fuerit superbia, potuisse tamen peccatum esse alterius generis & speciei. Schola Thomistica contendit, primum Angeli peccatum nec aliud fuisse, nec esse potuisse, quam superbiam, pro qua sententia.

4. Notandum, quod superbia accipi possit generaliter & specificè: generaliter accipitur pro negatione subjectionis ad legem & præceptum superioris, sicq; est quædam generalis conditio inclusa in omni peccato: specificè accipitur pro inordinato appetitu propriae dignitatis & excellentiæ, qui est peccatum speciale, unum ex septem Capitalibus. Et sub hac acceptioe posteriori procedit quæstio.

§. II.

Primum Angeli peccatum superbia

5. **CONCLUSIO.** Primum Angeli peccatum aliud nec fuit, nec esse potuit, quam superbia. S. D. hic a. 2. in c. Et primam quidem partem aperte adstruunt S. Script. & PP. Nam Isa. 14. de Lucifero allegoricè dicitur: *detracta est ad inferos superbia tua, &c.* Et Ezech. 28. *elevatum est cor tuum in decore tuo.* 1. Timoth. 3. *ne in superbiam elatus in iudicium incidat diabolus.* h. e. ne imitans diaboli superbiam ipsius damnationem incurrat. Tob. 4. *in ipsa (superbia) initium sumpsit omnis perditio.* Ex SS. PP. S. Augustinus frequenter hoc ipsum asserit; præsertim l. 11. de Gen. ad litt. & 12. de civit. e. 6. *Hoc vitium (Angeli peccantis) quid aliud, quam superbia nuncupatur? initium quippe omnis peccati superbia. Hic primus defectus & prima inopia, primumq; vitium ejus naturæ.* Ambros. Ep. 84. ad Demetr. *Sive in lapsu diaboli sive in prævaricatione hominis initium peccati superbia est.* S. Chrysostr. hom. 15. in Joan. *quid hæc superbia insanis? non esset à calo ejectus, neq; in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc se scelere coinquinasset. Hoc malorum omnium ei causa fuit.* D. Leo. Serm. 4. de Collect. *Inventor ille autborq; peccati primum superbus, ut caderet, deinde invidus, ut noceret.*

6. Utraque pars ostenditur ratione, Primum Angeli peccatum non potuit esse aliud, quam inordinatus affectus ad bonum spirituale; sed hic est superbia: ergo, major inde probatur, quod primum peccatum Angeli non potuit esse circa malum, quia fuga mali præsupponit affectum boni, ut aliunde suppono: ergo fuit circa bonum.

Non circa bonum corporeum; hoc enim non erat Angelo conveniens & proportionatum: ergo fuit affectus ad bonum spirituale. Atqui affectus ad bonum spirituale non potest esse malus, nisi quate-

nus est inordinatus: ergo primum Angeli peccatum debet consistere in affectu inordinato ad bonum spirituale. Minor pariter probatur, in prosecutione bonorum spiritualium (præsertim propria perfectionis, dignitatis & excellentiæ) nolle subijci mensura seu regula superioris: sed peccatum superbiae: sed prosecutio bonorum spiritualium in Angelo non poterat esse inordinata, quam quatenus in illa volebat subijci mensura seu regula superioris (ut ex seq. §. constabit) ergo prosecutio inordinata bonorum spiritualium in Angelo fuit peccatum superbiae.

Dices primo. Non subdi regula superioris pertinere potius ad peccatum inobedientiæ, quam superbiae. Respondeo, non subdi regula superioris ut formaliter habentis rationem legis & præcepti est peccatum inobedientiæ, concedo, ut habet rationem mensurae, cuius creata perfectionis, dignitatis & excellentiæ debitum modum præscribitur; nego; sic enim directè contrariatur virtuti militatis.

Dices secundo. Non subdi regula superioris conditio quædam generalis, quæ reperitur in omni peccato: ergo non constituit speciale peccatum superbiae. Respondeo. Non subdi, si solum immoderatus appetitus ad aliquem actum, concedo, si intendatur per se saltem ex parte modi volendi, quemadmodum in Angelis contingit, nego.

Dices tertio. Si Angelo per se directè voluisset malum, adeoque in intellectu Angelico accessisset error formalis; sed hoc est contra quædam: ergo.

Respondeo ex jam dictis, si ex parte rei voluit, & in actu signato voluisset DEO non subijci, concedo, si ex parte modi tendendi & in actu exercito, nego. Angelus itaque ex parte modi tendendi & in actu exercito (per se tamen) voluit DEO non subijci, quatenus in sua perfectionis naturæ prosecutione non curavit servare modum à superiore præscriptum.

At inquis, nunquid hoc potius erit peccatum omissionis, quàm commissionis? Nego, nam continere debitam circumstantiam in actu positivo contrariante alicui præcepto negativo pertinet ad peccata commissionis, ut patet in eo, quod ostendimus ne attentione.

Colliges ex dictis primo, Primum Angeli peccatum non esse luxuriam spirituales, ut Scotus voluit; nam primò, nisi nominibus abuti vel luxuria non significat quamlibet inordinatam delectationem, sed eam, quæ est de rebus venièntiis aliàs non erit ratio, cur non etiam peccatum quædam hoc nomine appelles.

Secundò. Quia delectatio de bonis propriis spiritualibus non alià ratione potuit in Angelo reddi vitiosa, quam propter subtractionem à divina regula & sine supernaturali; sed hæc ratio constituit peccatum superbiae, ut modò vidimus.

Colliges secundo. Primum Angeli peccatum nec esse potuisse inobedièntiam, nec invidiam; immo quæ enim peccatum nominat actum fugæ, qui præ naturam supponit prosecutionem boni. Unde oportuit, diabolum prius inordinatè appetere bona spiritualia, quam illa homini invidere.